

et ardor abſtinentiæ, et inordinatæ vigiliæ intemperantiæ coarguuntur, et nimietate ſua pereunt, ut hæc ipſa poſt ea quidem nec mediocriter fieri poſſint: ita ſtudioſum intemperans lectionis in reprehentionem cadit, et quod laudabile eſt in genere ſuo, fit nimietate ſui culpabile. *Hieron. ad Demetr. virg.*

5. Idecirco et deſidiosus ingenium sæpè accipit, ut de negligentia juſtiùs puniatur, quia quod ſine labore aſſequi potuit, ſcire contempſit: et ideo nonnunquam ſtudioſus tarditate intelligentiæ premitur, ut eò majora præmia retributionis inveniat, quò magis in ſtudio inventionis elaborat. Nihil ergo eſt in terra ſine causa, quando et ſtudioſo tarditas ad præmium proficit, et deſidioſo velocitas ad ſupplicium creſcit. *Gregor. in moral.*

6. Omnino iniquum eſt, nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus, et eos, quos ardua et graviora expectant officia, voluptatis, et vanitatis occupationibus agitari. *Chrys. de cur. nug. veſt. phi. lib. 1.*

7. Omnis profeclus ex lectione et meditatione procedit: quæ enim nescimus, lectione diſcimus; quæ didicimus, meditationibus conſervamus. *Isid. lib. 3. de ſum. bon.*

8. Punge, et dabit lachrymam, ſtringe mentem, et dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Orig. ſuper Exod.*

9. Tria ſunt ſtudentibus neceſſaria, natura, exercitium, diſciplina. In natura conſideratur, ut facile audita percipiat, et præcepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et ſedulitate naturalem ſenſum excolat. In diſciplina, ut laudabiliter vivens, mores cum ſcientia componat. *Hug. lib. 3. didasc.*

10. Tria ſunt quæ præcipuè ſtudiis legentium obſe ſolent: negligentia, imprudentia, fortuna: negligentia eſt, quando ea, quæ diſcenda ſunt, vel prorsus prætermittimus, vel minus ſtudioſè diſcimus: imprudentia eſt, quando congruum ordinem in his, quæ diſcimus, non ſervamus: fortuna eſt in eventu caſum, ſive naturaliſter contingente: quando vel patterlate,

vel infirmitate, vel naturali tarditate, ſive etiam doctorum raritate à proposito noſtro retrahimur. In his autem tribus: de primo, id eſt, negligentia lector admonendus eſt, de ſecundo vero, id eſt, prudentia inſtruedus, de tertio, id eſt, fortuna adjuvandus. *Ibidem. lib. 4.*

11. Noli contemnere minima, quia paulatim defluit, qui minima contemnit. Si primo alphabetum diſcere contempſiſſes, nunc inter grammaticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam eſſe, qui ſtatim philoſophari volunt: quorum ſcientia formæ aſini ſimilis eſt, noli huiusmodi imitari. Parvis imbutus, tentabis grandia tutus. *Hug. lib. 6. didasc.*

12. Sapiens ille vir Græciæ Demosthenes cum expletis 107 annis ſe mori cerneret, dixiſſe fertur; ſe dolere, quod egrederetur vita quando ſapere cœpiſſet. Plato octuagesimo anno, ſcribens, mortuus eſt. Socrates nonagesimum octavum in docendi et ſcribendi labore complevit: Refert Homerus quod de lingua Neſtoris jam veluti et penè decrepiti dulcior melle oratio fluxerit. *Ibidem lib. 3.*

13. Prudens lector vel auditor omnes libenter audit, omnia legit: non ſcripturam, non perſonam, non doctrinam ſpernit: ab omnibus indifferenter quod ſibi deſſe videt, quærit non quantum ſciat, ſed quantum ignorat, conſiderat. *Ibidem.*

14. Studium eſt aſſidua ac ſagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel ſcrutans penetrare occultum. *Ibidem.*

15. Meditatio, eſt frequens cogitatio, modum et cauſam et rationem uniſcujuſque rei inveſtigans. *Ibidem.*

16. Studium eſt animi aſſidua et vehemens applicatio ad aliquid agendum, cum ſumma voluntate occupati. *Hugo.*

17. Quia pauci ſtudia non honorant, ſimul et naturali iudicio fixum eſt, et radicalum pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. *Si. l. 5. epist.*

18. Tu quoque si vis lumine claro cernere verum: Tramite recto carpere callem. Gaudia pelle, pelle timorem, Spemque fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est vinclaque frænis, hæc ubi regnant. *Boët. lib. 1. de consol.*

19. Studia te clarum et nobilem efficient, sine studio æger est animus: Si gula, inquit Epicurus, tangeris, nolio rem te epistolæ meæ faciunt, quam omnia ista quæ colis, et propter quæ coleris, studiis ingeniorum crescit dignatio, nec ipsis tantum honor habetur, sed quidquid illorum memoriæ adhæsit, excipitur. *Sen. 21. epist.*

20. Studio me dabo, omnia alia negligenda sunt: ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est: etiamsi à pueritia usque ad longissimos ætatis terminos vita perducatur, resistendum est occupationibus. *Sen. 23. epist.*

21. Omne quidem tempus idoneum est studio salutari: multi vero inter illa non student propter quæ studendum est. *Ibidem.*

22. Studia etiam salutem corporis prosunt. In remedium enim cedunt honesta solatia: et quidquid animum erexerit, etiam corpori prodest. Cogita, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci: quantus ad spectaculum lusorum vel luctatorum fiat concursus, quanta sit mentis bona solitudo, quam imbecilli animo sunt quorum lacertos humerosque mirantur. *Sen. 81. epist.*

23. Otiuta sine litteris, mors est, et vivi hominis sepultura. Alit lectio ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen reficit nec scribere tantum, nec legere debemus: altera res consternabit vires, et exhauriet, de stylo dico: altera solvet ac diluet: invicem hoc et illo commutandum est, et alterum altero temperandum, ut quidquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus. *Sen. 87. epist.*

24. Apes debemus imitari, quæ ut vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere, disponunt, ac per favos digerunt:

ita debemus quæcumque ex diversa lectione congestimus, separare: melius enim distincta servantur: deinde ad debitam facultatem ingenii in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit unde sumptum est, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat. *Ibidem.*

25. Quod in corpore nostro videmus operari naturam, alimenta quæ accepimus quamdiu in sua qualitate perdurant, et solida innascent stomacho, oneri sunt: at cum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et sanguinem transeunt. Idem in illis quibus aluntur ingenia, præstamus, ut quæcumque hausimus, non patiamur integra esse: ne aliena sint, coquamus illa: alioquin in memoriam non ibunt, non in ingenium. Nostra illa facimus. Unum quidem fiet, ex multis, hæc faciat animus noster, omnia quibus est aditus, abscondat, ipsum tamen ostendat, quod efficit. *Ibidem.*

26. Quidquid facies, redi à corpore ad animum: illum diebus ac noctibus exerce: labore modico colitur ille: hanc exercitationem non frigus, non æstus impediunt: nec senectus quidem. Neque ego te jubeo semper imminere libro aut pugillaribus, dandum est aliquod intervallum animo: ita tamen ut non resolvatur, sed mutetur. *Sen. 51. epist.*

27. Solet plus prodesse, si pauca sapientiæ præcepta teneas, sed illa in promptu, ut in usu tibi sint, quam si multa quidem didiceris, et illa ad manus non habeas. *Sen. lib. 1. de benefic.*

28. Non refert quam multa sciat luctator, si scit quantum victoriæ satis est. Sic in studio multa delectant, pauca vincunt licet nescias: quæ ratio Oceanum effundat, et revocet: quid sit, quod geminorum conceptum separet: partem tamen jungat, utrum unus concubitus spargatur in duos, an toties concubuerit: cur pariter natis fata non tibi nocebit transire, quæ nec licet scire, nec prodest: quidquid enim nos meliores beatosque factorum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. *Ibidem.*

29. Certis ingeniis innutriti et immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *Sen. 1. epist.*

30. Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidit his, qui nullius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim et properanter transeunt. Non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil ita sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil ita utile est, quod in transitu prosit: sed modo inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum: fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. Quum igitur multa percurreris, unum excerpe, quod illa die concoquas. *Ibidem.*

31. Labor scholasticus, otium est, sed negotiosum, et quod animum reddit ad honesta sollicitum. *Senec. in epist.*

32. Studiis et divitiis pariter vacare non potes: nec animam illam dignatur habitare sapientia, quam videt infectam desideriis, et curis temporalibus involutam. *Senec. 17. epist.*

33. Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis. Multis enim ad philosophandum obstiterè divitiæ, pauperas autem expedita est secunda. *Ibidem.*

34. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare: excitatur enim otio vigor, et omnis tristitia, quæ continuatione studij pertinacis adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Studia enim leniter tacta delectant, contacta et propius admota, fastidio sunt. *Senec. 1. Rhet.*

35. * Studium, unicum doloris levamentum est. *Plin. Junier. lib. 8.*

36. * Ut in vita, sic in studiis pulcherrimum et humanissimum existimo severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 1. in tit. Cu

riositas, núm. 13, 17, 24. in tit. Discere, Discretio, núm. 1. in tit. Doctrina, núm. 26, 38, 39. in tit. Exercitatio et Honestas, núm. 4. in tit. Ingenium, núm. 1. in tit. Otiositas, núm. 18. in tit. Perfectio, núm. 14. in tit. Philosophia, núm. 22. in tit. Sapientia, núm. 8, 9, 28, 31. in tit. Sobrietas, núm. 2. in tit. Taciturnitas, núm. 13, 14.

STULTITIA.

1. Rescindenda insipienti potestas est, non adji-cienda libertas. Insipientis in libertate ruina vehementior est. *Ambros.*

2. Stulti tanto insensius de alieno judicant, quanto sua profundius ignorant. *Gregor. in Moral.*

3. Stultus, viator est, qui in via amœna prata conspiciens, obliviscitur, quo tendebat. *Ibidem.*

4. Tanto quisque intus amplius stultior sit, quanto conatur exterius sapiens videri. *Gregor. lib. Moral.*

5. Stultus est, qui per ignorantiam non commo-velur ad dolorem, et qui non movetur ad injuriam. *Isidor.*

6. * Stulti desiderant absentia: præsentia vero etsi meliora præteritis, negligunt. *Democ. apud Stob.*

7. * Stultus dives, mancipium aureum. *Soc. ap. Stob.*

8. * Omnium malorum stultitia est mater. *Cicer. de Pet. cons.*

9. * Multa sunt incommoda, quæ sapientes commo-dorum compensatione leniunt: stulli nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia. *Ibidem. 2. de Nat. deor.*

10. Inter cætera mala hoc quoque habet stulti-tia: semper incipit vivere. *Sen. 12. epist.*

11. Stulto nulla re opus est, nulla enim uti scit, sed omnibus eget: omnis stultitia laborat fastidio sui. Nemo est ex imprudentibus, qui relinquere sibi debeat. *Sen. 10. epist.*

12. Humilis est stultitia, res abjecta, sordida, servilis, nullis affectibus et sævissimis subdita. *Sen. 56. epist.*

13. Si quanto fatuo delectari volo, non est mihi longe quærendum, me video. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Fortitudo, núm. 6. in tit. Sapientia, núm. 1. in tit. Servitus, núm. 3. in tit. Simplicitas, núm. 4.

SUBJECTIO.

1. Tales sese, qui præsumt, exhibeant, ut quibus subjecti occulta quoque sua prodere non erubescant: et quum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem, quasi ad patris sinum recurrant. *Greg. in pastoral.*

2. Curandum est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. *Ibidem.*

3. Sit erga subditos sollicitudo laudabilis: exhibeatur cum mansuetudine disciplina: sit cum discretione correctio: iram benignitas mitiget: benignitatem zelus exacuet: et ita alterum conducatur ex altero, ut nec immoderata ultio, plusquam oportet affligat: nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. *Greg. in regist.*

4. Non erit caro subjecta animæ: nec vitia rationi, si animus non est subditus Creatori. Tunc autem recte nobis subjiciuntur omnia, quæ sub nobis sunt, si non subjicimur ei, a quo nobis illa subjecta sunt. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

5. Talis vicissitudo recipitur, ut qui amanti domino servire noluerunt, odientibus inimicis justo iudicio probarentur esse subjecti. *Cass. super Psal. 104.*

Vide etiam in tit. Doctrina, núm. 15. in tit. Excusatio, núm. 1. in tit. Excusatio, núm. 4. in tit. Prælatio, núm. 10, 12, 20, 24.

SUPRAGIUM.

1. Sunt, quos nihil adjuvant ista, quæ sunt pro mortuis, seu pro eis fiant, quorum tam mala sunt

merita, ut neque talibus digni sint adjuvari: sive pro eis, quorum tam bona sunt merita, ut talibus non indigeant adjumentis: genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus efficitur, ut possint quæcumque pro illo fiunt piæ, quum reliquerit corpus. Nam meritum, si nullum per quod ista prosunt, comparatum est in hac vita, frustra post hanc vitam quaeritur. *August. in lib. de cura pro mortuis agen.*

2. Non æstimemus ad mortuos, quorum curam agimus, pervenire, nisi, quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive ecclesiarum sacrificiis solemniter supplicamus, quamvis, non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantum, a quibus, dum vivunt, comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet pro regeneratis omnibus facere, ut nullus prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, et debeant pervenire. Melius enim supererunt eis ista, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt. *Ibidem.*

3. Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem positum est, animas abditis receptaculis continet: sicut unaquæque digna est vel requie, vel ærumna: pro eo quod sortita est in carne, dum viveret: neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, quum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia sunt: sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, hæc sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem: nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut hæc non requirat: et rursus talis in malo, ut nec his valeat, quem hæc vita transierit, adjuvari. *August. lib. 8. quæst.*

4. Quum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum,

qualescumque sunt consolationes vivorum. *Ibidem.*

5. Monumenta non ob aliud dicuntur, nisi quod hi, qui viventium oculis morte subtraeti sunt, nec oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocentur, et admonendo faciant cogitari: Unde monumentum, eo quod moneat mentem, nuncupatur. Ad hoc ergo sunt adjuventa mortuorum, ut dum homines recolunt eorum, quos diligunt, corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis, susceptos apud Dominum adjuvando et orando commendent. *Ibidem.*

6. Quum igitur recolit animus, ubi repositum sit charissimi corpus, et occurrit, animam dilectam commendat recordantis affectus. Quod igitur ad sepulchrum fidelis mater recurrit, et filium precibus magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus. *August. de cura pro mortuis agenda.*

SUPERBIA.

1. Magna est miseria, superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. *August. de Catech. rudibus.*

2. Cætera vitia in male factis valent, sola superbia etiam in recte factis est cavenda. *August. lib. de nat. et gratia.*

3. Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum et manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit: hoc dicit sacer Psal. *Imple facies eorum ignominia, etc. Aug. in lib. 14. de Civ. Dei.*

4. Quoniam delicto alio nisi superbiæ? non est enim majus peccatum, quam apostatari Deo: quod est initium superbiæ hominis. Et vere iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Aug. super ill. Psalm. Et emundabor.*

5. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia vero in recte factis timenda est: ne illa, quæ laudabiliter

facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. *Aug. in epist. ad Dioscor.*

6. Si vix toleratur dives superbus, pauperem superbum quis ferat? *August. in serm. 29.*

7. Vermis diviliarum est superbia. Difficile est, ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, et divitiæ non nocebunt. *Ibidem. 31.*

8. Quid prodest dispergendo dare pauperibus, pauperem fieri, cum anima misera superior efficitur divitiis contemnendo, quam fuerat possidendo? *Aug. in lib. de vit. cleric.*

9. Humilitas homines sanctis angelis similes facit, et superbia ex angelis dæmones facit: et ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, et finis, et causa: quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. *Aug. lib. ad sacr.*

10. Præcipe divitibus hujus seculi ante omnia non superbe sapere. Nihil est enim quod sic genereat divitiæ, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum, et alius vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis diviliarum superbia: ergo præcipe divitibus hujus mundi non superbe sapere, excludit vitium, docet usum. *August. in serm. de ver. Domi.*

11. Superbia et cupiditas in tantum est unum malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit cupiditas inveniri. *Bern. serm. 37. Soror.*

12. Superbia dicit: Ecce multis, imo penè omnibus melior es verbo, scientia, divitiis, honoribus et cunctis, quæ carnalibus vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis semelipsum superiorem attende. *Arist. de conflictu vit.*

13. Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia vero in bonis operibus insidiatur, ut pereant. *August. in regist.*

14. Fit miris modis in anima hominis, ut de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbi-ret, et nonnunquam dejicit Deus occultam mentis

superbiam per carnis manifestam luxuriam. *August. in quad. epist.*

15. Superbia natione cœlestis, sublimum appetit mentes, et quasi ad proprios revolans ortus, appetit gloriam, et potestatem hominum irrumpere, quæ de gloria et puritate angelorum erupit, ut quos invenit, participes naturæ, facit consortes ruinæ. *Hieronym.*

16. Quid tam superbum, quid tam ingratum videri potest, quam adversus ejus vivere voluntatem à quo ipsum vivere acceperis: quam illius præcepta despiciere, qui ideo aliquid imperat, ut causam habeat remunerandi? *Hier. in epist.*

17. Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur. *Hier. super March.*

18. Aliquando minus est in corruptionem cadere, quam cogitatione tacita deliberata elatione peccare, sed quum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eò magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverint, unde sit plerumque ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, et tunc etiam majora corrigant, quum prostrati in minimis gravius confunduntur. *Gregor. in moral.*

19. Plerumque latet superbia, et castitas innotescit, atque ideo tanta diu castitas circa finem vitæ perditur: quia cooperte superbia, usque ad finem incorrecta retinetur. *Ibidem.*

20. Superborum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad Lacescentes alios importuna: ad ea, quæ facere debet, et prævalet, ignava: ad ea autem, quæ nec facere debet, nec prævalet, parata: hoc in eo quod sponte non appetit, nullis exhortationibus flectitur. Ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur: quia dum meruit ex desiderio suo villescere, optat vim in sua voluntate tolerare. *Ibidem.*

21. Omnis superbia eo ipso in imo latet, quo in

alto se erigit, ut inde magis supposita cunctis sit, unde cunctis appetit superesse. *Ibidem.*

22. Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut quum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne propectu vigeat, nec usu roboretur. *Ibidem.*

23. Radix quippe cuncti mali, et regina omnium vitiorum superbia est: de qua scriptura attestante dicitur. *Initium omnis peccati superbia.* Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, et luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos diabolus tenuit, idcirco redemptor roster ad spirituale liberationis bellum septiformis gratiæ plenus venit. *Ibidem.*

24. Plerumque mali eò magis contra Deum superbiunt, quò ab ejus largitate et contra meritum ditantur: et qui provocari bonis ad meliora debuerunt, donis pejores fiunt. *Ibidem.*

25. Vicina esse potentibus solet superbia, et penè semper tebus affluentibus elatio sociatur quia et sapè honoris abundantia duritiam dat tumoris. *Ibidem.*

26. Quum is, qui de terrena prius gratia superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam elatio corpus ejus deseruit, sed ad eum consueta veniens, ut cognosci nesciat, vestem mutavit. *Ibidem.*

27. Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, quum bonum aut à semetipsis habere se aestimant: aut sibi datum desuper credunt, et pro suis se hoc accepisse meritis putant: aut certe quum jactant se habere, quod non habent: aut despectis cæteris, singulariter videri habere appetunt, quod habent. *Ibidem.*

28. Quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei. *Bernar. in ser. 2. in resur. Domini.*

29. Magna superbia, et delictum maximum est, ut datis tanquam innatis, et in acceptis beneficiis gloriam usurpare beneficii. *Bern. de diligendo Deo.*

30. Septemplex occupavit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionem, in gloria vestium, in voluptate corporum. In ore quoque dupliciter, similiter et corde, in ore, quum in adversis murmuramus, et in prosperis arroganter commendamus: in corde propria voluntas, et proprium consilium. *Bern. in serm. lib. 3. de resur. Domini.*

31. Superbia de superis cælestibus ad ima præcipitat: humilitas ab imis ad alta levat. Angelus in cælo ad tartara corrui: homo in mundo ad cælum ascendit. *Bern. in quadam serm.*

32. Trabs in oculo grandis, et grossa in mente superbia est: quæ quasi copulencia sui vana non sanat, tumida non solidat, oculum mentis obscurat, et veritatem obumbrat. *Bernar.*

33. Videas plerosque in ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos subito intumescere, pristina oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, et infimos dedignari parentes. Videas et homines pecuniosos ad honores quoque ecclesiasticos pervolare, et mox sibi applaudere sanctilitatem vestium mutatione, non mentium: et dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque (non audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. *Bern. super Missus est circa finem.*

34. Quosdam superbos divites rerum copia facit elatos, quorum non sunt opes in vitio sed voluntas, nam crimen in rebus non est, sed in usu agentis, et est elatio pauperum, quos non divitiæ elevat, sed voluntas sola in eis superbia est. *Isid. lib. 5. de sum. bon.*

35. Superbus dictus est, quia supra vult videri, quam est: qui enim vult supergredi superbus est. *Isid. lib. etymolog.*

36. Omni vitio deterior est superbia, seu quia à summis personis assumitur, seu quod de opere justitiæ et virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur. Luxuria vero carnis ideo omnibus notabilis est, quoniam statim per se turpis est, et tamen, pensante

Deo, superbia minor est. *Isid. lib. 5. de sum. bon.*

37. Arrogantia, est animi motus, quo quis movetur ad jactandum se habere, quod non habet? *Isid. lib. etymolog.*

38. Quid superbit terra et cinis? ut homo arrogantia sublevelur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercorebus immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? *Greg. super Ezech.*

39. Jactantia est, fastu mentis, id agente, majora quam sunt de se promittere. *Hugo.*

40. Superbia est elatio vitiosa, quæ inferiorem despiciens, superioribus et paribus satagit dominari. *Ibidem.*

41. Superbia in cælo nata est, sed velut immemor qua via inde cecidit, illuc postea redire non potuit. *Hug. lib. 1. de anim.*

42. Cætera vitia solas illas virtutes impelunt, quibus ipsa destrouunt: ut luxuria pudicitiam, ira patientiam: sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, et quasi generalis et pestifer morbus omnes corrumpit. Signa autem superbiæ hæc sunt: clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione. *Ibidem. lib. 2.*

43. Quatuor enim sunt, quæ trahunt elationis currum: amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, et inobedientia. Rotæ vero sunt: jactantia mentis et arrogantia, verboritas et levitas: auriga in hoc curru est spiritus superbiæ: amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru: infrænes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, et qui portatur, infirmus. *Hugo. de clau. animæ lib. 1.*

44. Superbia de angelo diabolum fecit, et homini mortem intulit, et concessa beatitudine vacuavit, omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiae. *Cass. super Psal. c. 18.*

45. Mansueti suscipiuntur in cælum, superbi de-

jeiuntur in terram, ut permutatione vicaria unde humilis levatus est, ibi superbus corruat, et unde Salanas elevatus cecidit, fidelis homo sublevatus ascendat. *Cass. super ill. Psalm. Suscipiens mansuetos Dom.*

46. Familiare est hominibus extolli, quum bene de se cognoverint aestimari. *Cass. in quadam epist.*

47. Superbia turrim evertit, linguam confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman; interfecit Nichanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, et Sennacherib interemit, sedes ducum superbiorum destruxit Deus, et radices gentium superbiorum arefecit. *Innoc. de vilitate cond. human.*

48. Omnis fere vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatum, unde inter superbos semper sunt jurgia. *Ibidem.*

49. Heu! hominum unde iste factus, ista superbia? cujus ævum nostra necessitas, cujus vitam laboriosa devolvit pœnalitas, cujus pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas? cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium, cui vita aut abest, aut spondet absentiam, mors aut instat, aut minatur instantiam. *Alcianus lib. de complactu nature.*

50. * Superbia commune nobilitatis malum. *Sallust. in bell. lug.*

51. * Superbiæ et crudelitati si seræ, non lamen lenes veniunt pœnæ. *Liv. 1. Dec. lib. 5.*

52. Nunquam in solido stetit superba felicitas et ingenium, imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. *Sen. de sent. orat.*

Vide etiam in lit. Avaritia, nûm. 56. in lit. Charitas, nûm. 8. in lit. Contemplatio, nûm. 7. in lit. Cor, nûm. 6. in lit. Cupiditas, nûm. 2. in lit. Curiositas, nûm. 6. in lit. Divitiæ, nûm. 3, 4. in lit. Doctrina, nûm. 20. in lit. Eleemosyna, nûm. 33. in lit. Gratiitudo, nûm. 2. in lit. Homo, nûm. 20. in lit. Humilitas, Jactantia et Invidia, nûm. 1. in lit. Laus, nûm. 22. in lit. Paupertas, nûm. 9. in lit. Potestas, nûm. 4. in lit. Prælatio, nûm. 3, 4. in lit. Sapientia, nûm. 14. 19. 27.

SUPERFLUITAS.

1. Nihil tam necessarium, quam cognoscere, quid sibi sit necessarium. *Amb. ad Vercell.*

2. Simplex vestimentum dicitur, quidquid necessarium est alicui secundum qualitatem loci, vel temporis. Duplex autem quod extra necessitatem est, non enim duas dicit, ut quis in locis Scotiæ glaciali nive rigentibus unica tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus. *Hier. super Matth. 10. Neq. duas tunic. etc.*

3. Quidquid corpora nostra defendere potes, et humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hæc una appellanda est tunica, et quidquid in præsentibus alimentis est necessarium, hoc unius dicitur victus appellatur. *Hier. 23. ad Fabiolam.*

Vide etiam in lit. Avaritia, nûm. 26. in lit. Caro, nûm. 13. in lit. Clericus, nûm. 13, 15. in lit. Divitiæ, nûm. 27. in lit. Ebrietas et Ornatus, nûm. 29. in lit. Sobrietas et Studium, nûm. 4.

SUSPICIO.

1. Sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui bonus est: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est. *Chrys. super Matth.*

2. Omnis homo ex se aestimat alterum: fornicarius neminem putat castum, castus de fornicario non facile suspicatur, superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat esse superbum: sic, qui non est ex Deo sacerdos, neminem putat sacerdotem ex Deo. *Ibid. c. 21.*

3. Facilius vitia uniuscujusque, quam virtutis intendimus: nec quid boni quisque gesserit, agnoscere, sed quid mali egerit, perscrutamur. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

4. Fidelem si putaveris, facies quidem fallere: docuerunt, dum timent falli, et illius peccati occasionem suspicando fecerunt. *Sen. epist. 2.*

5. Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse in-

sanit, in idem putet cæteros insanire. *Senec. in lib. de moribus.*

Vide etiam in tit. Charitas, núm. 24. in tit. Consolatio, núm. 12, 13. in tit. Detraccio, núm. 22. in tit. Excusatio, núm. 9. in tit. Fama, núm. 1. in tit. Mulier, núm. 8. in tit. Testimonium, núm. 7. in tit. Tristitia, núm. 6.

TACITURNITAS.

1. Quam plures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemdam tacendo. Ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit: sapiens est ergo, qui novit tacere. *Ambr. lib. 2. de Offic.*

2. Silendi patientia, opportunitas loquendi, et contemptus divitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum. *Ibidem.*

3. Diu considera quid loquendum sit, et adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœniteat; sapiens ut loquatur, multa prius considerat: quid, aut cui, quo loco, vel tempore dicat. *Hier. in quadam epist.*

4. Ille scit recte dicere, qui et ordinate novit tacere. *Gregor. in Moral.*

5. Plerumque nimis laciti, quum injuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, vulnera quippe clausa plus cruciant: quia quum potredo, quæ intus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. *Gregor. in pastoral.*

6. Sancti viri, quum prodesse audientibus nequeunt, etiam despici tacentes volunt. *Greg. in quadam ho.*

7. Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentii: et recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. *Greg. super Ezech.*

8. Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. *Gregor. in pastoral.*

9. Utinam recedendo vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non docetur sermonibus, sed excitatur; unde malum hominem tacendo melius, quam respondendo vincere potes. *Chry. super Matth. c. 21.*

10. Et loqui, et tacere, perfectio est. Est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut et verborum nimietas ad furorem refertur, secundum illud sapientis: Est tacens non habens sensum loquelæ, et est tacens sciens tempus apti temporis: de qua re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis in tacendo stultus, quam nimium loquendo judicetur insanus. *Cass. lib. 3. epist.*

11. Hæc regalis proculdubio virtus celerius necessaria sentire, et tardius in verbo prorumpere: nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda suo prius tradit examini. *Sid. lib. 2. epist.*

12. Natura compertum est, ut omnibus artibus hæc sit scientiæ pretiosior pompa, quò rarior. *Ibidem.*

13. Pythagoras discipulis advenientibus, prius legitur tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam; et sic incipientem quemque inter disputantium cœlaneous cathedras mutum suslinuisse quinquennium, ut etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deberent agnosci: quia donec scientiam non combiberis, non major est gloria dixisse quod noveris, quam siluisse quod nescias. *Sid. lib. 7. epist.*

14. Pythagoras hanc in studiis suis consuetudinem servasse legitur, ut usque ad septennium juxta numerum septem liberalium artium nullus discipulorum suorum de his, quæ ab ipso dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare verbis magistri, quousque omnia audivisset. Scholares verò nostri, aut nolunt, aut nesciunt modum congruum in discendo servare, et idcirco multos studentes, paucos sapientes invenimus. *Hug. in didasc. lib. 3.*

15. Numquam me pœnituit tacuisse quod loquutus

sim sæpè. *Simonides apud Plut. de tuen. bo. val.*

16. * Magna est sapientia tempestivum silentium, et omni certè sermone præstantius. *Ibid. de edu. liber.*

17. * Quid Xenocratis responsum? quam laudabile? cum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus linguam cohiberet? quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Et illud: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Val. Max. lib. 7. de sapien. dictis.*

18. Loqui ignorabit, qui tacere nescit; sapienti expedit lacere pro se, quam loqui contra se. *Senec. de sen. orat.*

19. Xenocrates loquaci cuidam: audi, inquit, melius: os unum à natura, aures duas accepimus. *Ibid.*

20. Nihil æque proderit quam quiescere, et minimum cum aliis loqui, et plurimum secum. *Sen. 16. epist.*

21. In hoc incumbere, ut libentiùs audias, quam loquaris: quod tacitum velis, nemini dixeris. Auribus frequentius, quam lingua utere. Quidquid dicturus es, ante, quam aliis, tibi dixeris. *Sen. in lib. de mor.*

22. Taciturnitas stulto homini pro sapientia est: tacere qui nescit, nescit loqui. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Loquacitas, nùm. 1, 15. in tit. Solitudo, nùm. 18.

TEMPERANTIA.

1. Munus temperantiæ est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus contrariamus in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, et à fructu bonitatis ejus, cujus officium est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem. *August. in lib. de morib. Eccl.*

2. Vir temperatus in rebus hujus vitæ habet regulam utroque Testamento confirmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet. *Ibidem.*

3. Intemperantia maxime honesti cura, decoris

consideratio spectatur et quæritur. *Ambr. de Offic.*

4. Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non inorquet, qui solus possidet, quod accepit; sed hoc indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui autem alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima laqueum peccati incurrat, scit esurire: quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. *Greg. ho. 4. sup. Ezech. sup. illud, Scio et abundare et penu. pa.*

5. Temperantia facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, et tacitum, et verecundum: hæc virtus si in animo habitat, libidines frænât, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinal, cogitationes pravas removet, scientias inserit, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, et totam ab omni semper tempestate vitiorum defendit. *Prosp. de vita contemplat.*

6. * Temperantia est, quæ in rebus aut fugiendis aut expetendis, ut rationem sequamur monet: quæ animis pacem affert, et eos quasi quadam concordia lenit ac placat. *Cicer. de fini.*

7. Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias dispensat, et ad sanum modum dirigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit, scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. *Senec. ult. epist.*

Vide etiam in tit. Abstinencia, nùm. 17. in tit. Fortitudo, nùm. 18. in tit. Prosperitas, nùm. 32, 33. in tit. Sobrietas et Studium, nùm. 4. in tit. Virtus, nùm. 7.

TENTATIO.

1. Justus ex fide vivit, fides tua, justitia tua,

quia nique si credis, caves: si autem caves, conaris, et conatum tuum novit Deus, et voluntatem tuam inspicit, et luclam cum carne considerat, et hortatur, ut pugnes, et adjuvat, ut vincas, et certantem spectat, et deficientem sublevat, et vincentem coronat. *Aug. super psalm. 51.*

2. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum et tentationes habuerit. *Ibid. Psalm. 60.*

3. Tandiu diabolus sopitum ignem sine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens simul ambas accendat, et tandiu cessat sævitia suæ tela supponere, donec sicut peritus venator quod occisurus est, laquei vinculis alliget. *Aug. de sing. cler.*

4. Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut qui te nescibas, a teipso inveniaris. *Aug. super psalm. 61.*

5. Duplicem aciem producit mundus contra milites Christi: blanditur enim, ut decipiat: terret ut frangat, non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus: ad utrosque aditus occurrit Christus et non vincitur Christianus. *August. in serm. S. Vincentii.*

6. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tentator tuus est: et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione approbate. *Aug. de verb. Dom. serm. 6.*

7. Nulla mens est, nulla anima, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. *Ambr. in lib. de Noë.*

8. Tentamenta tua, si ad te respicias, grandia sunt: si ad bellatorem fortissimum, ludus et umbra certaminis. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. *Amb. in quadam epist.*

9. Deus ipse omnium rector ac dominus, cum omni

angelorum militia certamen tuum expectat, libique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. *Ibidem.*

10. Dum parvus est hostis, interfice, ut nequitia elidatur in semine. *Hier. in epist.*

11. Præceps anima, dum ante non prævidet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca postea incipit desiderare quod vidit: sanctus vir, ut cogitationes caste desiderare posset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè respiceret, quod postmodum invitus amaret. *Greg. in mor. tractans ill. Pepigi fœdus cum oculis meis.*

12. Valde namque est, quod caro deorsum trahit, et semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luclaminis luctu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versentur, providendum nobis est, quia intueri non debet, quod concupisci non licet. *Ibidem.*

13. Ad Judæam Dominus per Jeremiam dicit: Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ? neque enim reprehendit cur veniunt, sed cur morantur: in bonis enim cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed tamen morari prohibentur: quia recti quique ne captivandam domum conscientia præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant, qui etsi quando repentinis suggestionibus usque ad primum vestibulum subrepit, ad consensus tamen januam non pertingit. *Ibidem.*

14. Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax victos reddidit, eoque illos inopinosos hostes gravius perlulit, quò longo quietis usu negligentes invenit. Unde sancti viri, quum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam supernæ dispensationis moderamine exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tantò robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humiliter agnoscunt. *Ibid.*

15. Plerumque, qui plus in contemplatione rapiuntur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur: sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet,